Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

# VI NATVRAE HVMANAE MEDICA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE GVESTPHALIAE RELIQVA

PRAESIDE
IOANNE ADOLPHO WEDELIO
PHILOS. ET MED. DOCTORE THEORETICES P. P. ORD.
CONSILIARIO ET ARCHIATRO DVCVM SAXON.
ET ACAD. NAT. CVR. COLLEGA
*PATRONO PRAECEPTORE AC PROMOTORE OMNI PIETATIS AC VENERATIONIS CVLTV PROSEQVENDO*

PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA MORE MAIORVM LEGITIME CONSEQVENDI,
*PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPOSITA*
A
CHRISTIANO HENRICO DEESEN
GROENINGA-HALBERSTAD.
IN AVDITORIO MEDICO
AD D. IVN. MDCCXXV.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

---

IENAE, LITTERIS IO. FRIDERICI RITTERI.



# I. N. I.

§. I.

VIs naturæ humanæ medica eſt σύγκρισις & διάκρισις humorum vitalium morboſorum ita fiens, vt ad proportionem decentem redeant, particulæ morboſæ vero ſecernantur & excernantur, a conſtitutione partium corporis humani naturali, adhuc reſidua & praeualente, dependens.

§. II.

Vi huic medicæ quidam hodie ipſius morbi nomen, qui tunc adeſt, imponunt, cum tamen contraria morbo ſit, eumque, ſi hæc maior ſit, remoueat. Hinc morbum dicunt id eſſe, per quod homines a morte præſeruantur & ſaluantur. Hinc neminem febri mori affirmant. Vbi per morbum, per febrim, minime, ſi mentem ſuam rite explicare cogantur, morbum & febrem eo in ſenſu, vt apud omnes reliquos medicos in vſu eſt, ſed hoc nouo ſumunt. Adeoque verbis magis, quam re, reliquis contradicunt medicis, cum per morbi & febris nomen longe aliam & contrariam rem, quam ceteri, deſignent.

 §. III.

§. III.

Vim hanc a medicis olim neglectam fuiſſe, aliqui quidem autumant, minime vero rem ita ſe habere deprehendimus, ſi priſcorum æque, ac reliquorum temporum, medicos conſulamus. Modo enim naturæ, modo virium, modo coctionis nomine, & inprimis, vbi magis ſenſibus obuia eſt, per criſin deſignarunt. Ergo nullo modo internam actiuitatem reſiduam omiſere, ſed ſatis conſiderarunt. Licet non menti ſeu animæ rationali, prout hodiernis quibusdam facere placet, eandem tribuerint.

§. IV.

Generatim quidem vis medica motus quidam eſt, vel talis efficacia, qua morbi remouentur & ſanitas reſtituitur. Cum autem non quilibet motus ad hanc rem, ſed determinatus, aptus ſit, clariorem eiusdem ideam habemus, ſi ſpeciem aptam huius motus generis loco ponamus, & hæc eſt σύγκρισις & διάκρισις. Totum enim hoc negotium conſiſtit in partium corporis humani, tam fluidarum quam ſolidarum, vitiatarum correctione. Nam his rite & bene ſe habentibus, actiones omnes, quæ ſecundum naturam ſunt, exerceri valent, adeoque ſanitas tunc iterum adeſt. Solidæ autem partes vitiatæ per fluidarum emendationem corriguntur, niſi quod interdum ſtructuræ & vnitatis vitia manuum operam ſimul requirant, vti & aliquando fluidarum ſtatus morboſus chirurgia eget. Omnis igitur medela corporis humani ægroti, quæ vel ſine chirurgia, vel præter eandem, fit, fluidarum partium in integrum reſtitutione abſoluitur. Fluidarum vero vitium primarium eſt qualitas & quantitas vitioſa, quod per σύγκρισιν & διάκρισιν tollitur.

§. V.

§. V.

Qualitas humorum quæcunque, hinc & morboſa, vnice a diuerſarum particularum conſtituentium præſentia & proportione dependet. Si igitur præſens qualitas in aliam mutari debet, alia harum particularum proportio requiritur. Alia & definita proportio obtinetur, ſi hæ particulæ certa & definita quantitate coniungantur & miſceantur, & hoc eſt σύγκρισις, reliquæ vero, ſcopo huic inconuenientes, ſeparentur, & remoueantur, & hoc eſt διάκρισις. Quantitas humorum vitioſa excedens per διάκρισιν partis ſuperfluæ corrigitur, quam nonnunquam præcedit σύγκρισις, humores ad διάκρισιν præparans. In defectu vero peccans quantitas & σύγκρισιν, vt particulæ aptæ copioſius ſibi miſceantur, & διάκρισιν, vt reliquæ proportionem excedentes ſeparentur, poſtulat.

§. VI.

Motu quidem etiam humores peccare poſſunt, ſed hic ipſe vel ab eorundem qualitate & quantitate, vel impellentis partis vitio, vel viarum culpa læditur. Qualitas & quantitas ad antedicta pertinet. Impellentis autem vitia ipſarumque viarum cum ab humorum qualitate vel quantitate itidem vel fiant, vel foueantur, non niſi eadem ratione abiguntur.

§. VII.

Vis ergo medica in συγκρίσει & διακρίσει humorum vitalium conueniente conſiſtit. Conueniens autem tunc eſt, ſi ita fiat, vt humores vitales ad ſuam proportionem decentem redeant, morboſæ vero particulæ ſecernantur & excernantur. Habemus in his conſentientem *Hippocratem* noſtrum, qui *libr. de Flatibus cap. III.* Ιητρικὴ, inquit,

inquit, ἔστι πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις. ἀφαίρεσις μὲν τῶν ὑπερβαλλόντων. πρόσθεσις δὲ τῶν ἐλλειπόντων. ὁ δὲ κάλλιστα τοῦτο ποιέων, ἄριστος ἰητρός. ὁ δὲ τούτου πλεῖστον ἀπηλλαγμένος, πλεῖστον ἀπήλλακται καὶ τῆς τέχνης. *Medicina est appositio, & ablatio. Ablatio quidem excedentium, appositio vero deficientium. Optime vero hæc faciens, optimus est medicus. Maxime vero in his deficiens, maxime etiam in arte deficit.*

§. VIII.

Hæc autem vis medica ſeu σύγκρισις & διάκρισις laudata vel a ſola natura peragitur, vel a medico per remedia apta iuuatur & dirigitur, vt ita, arte accedente, illa quoque vitia ſanari queant, quæ a natura ſola vel nunquam, vel non adeo prompte, ſuperari potuiſſent. Illa iam, quæ a ſola natura, absque medici auxilio, perficitur hoc loco conſideratur.

§. IX.

Per naturam humanam autem non intelligimus partem quandam hominis nobiliorem, ſeu animam rationalem, nec corporis quoque partem mouentem, ſeu principium vitale, ſed omnium partium corporis humani conſtitutionem naturalem in morbis adhuc reſiduam. In ſtatu naturali autem conſtitutio partium naturalis perfecta eandem naturam abſoluit. Sequimur in hoc ipſum *Hippocratem*, qui *in libro de natura humana* elegantiſſime demonſtrat, non vnam quandam partem naturam humanam eſſe poſſe, ſed omnes, ex quibus tamen fluidas tanquam praecipuas & ad curationem primario ſpectantes ibi recenſet, de reliquis autem alibi agit.

§. X.

§. X.

Recentiores quidem haud pauci animæ rationali vim hanc medicam tribuunt, & ideo quoque mentem humanam naturam vocant, exiſtimantes, eandem motibus omnibus in corpore humano præeſſe, & eosdem dirigere ad certum finem, vt materia morbida per ſecretiones & excretiones, viarum & meatuum idonea conſtitutione, imò humorum iuſta craſi in reliqua ſua maſſa, tanquam inſtrumento materiali concurrente, tempeſtiue & mature amoueatur. Verum mentem finem illum, ad quem dirigi debent motus, haud cognoſcere, nec motus vllos in poteſtate ſua habere, niſi voluntarios dictos, imo in ſtatu morboſo, ſæpe nec in hos quoque ipſi ius eſſe, adeoque dirigere motus ad finem non poſſe, niſi voluntarios, & his mediantibus aliquando reliquos, ſed remote & indirecte magis, in *Diſſert. de Principio vitali* Magnificus D. Præſes oſtendit. Non ergo mens huius vis medicæ cauſa efficiens exiſtit.

§. XI.

Imò motus hi, ſeu σύγκρισις & διάκρισις, vt a natura peraguntur, non ſunt eiusmodi, vt a principio intelligente, finem cognoſcente, & motus pro lubitu inſtituente, immediate deriuari debeant, ſed fiunt neceſſario, ob mixturæ partium minimarum proportionem & ſtructuræ habilitatem, quam ipſi huius opinionis patroni agnoſcunt & ſupponunt, illa enim eſt ante dicta iuſta humorum craſis in reliqua ſua maſſa, hæc autem viarum & meatuum idonea conſtitutio. His enim eodem modo ſe habentibus, eadem fit σύγκρισις & διάκρισις, ſiue velit ſiue nolit mens, mutatis autem iisdem etiam hi motus mutantur, & ſemper huic reſpondent conſtitutioni, quomodocunque ſe habenti, absque mentis directione.

§. XII.

§. XII.

Ob eandem rationem minime opus habemus, vt spiritibus animalibus hoc officium motus hosce dirigendi & ad finem proportionate gubernandi, tribuamus, quod nec facere valerent, nec requiritur, cum laudatæ conditiones hanc ad rem sufficiant, & etiam hic, quod fieri potest per pauca, per plura vt fiat, opus non sit. Concurrunt tamen spiritus ad motus determinatos reddendos, minime autem hoc dicto, sed paulo ante laudato, & vlterius explicando modo.

§. XIII.

Causa nempe efficiens nostrae συγκρίσεως & διακρίσεως est constitutio partium corporis humani naturalis adhuc residua & præualens, quæ vno verbo alias natura & quidem, hoc modo se habens, robusta, vel robur naturæ, dicitur. In omnibus enim morbis, quamdiu vita adest, reliqua adhuc existit constitutio quædam naturalis, hoc enim nisi esset, nulla actio vitalis posset edi, nec morbus, sed mors, adesset. Cumque morbus a constitutione partium præternaturali dependeat, hæc autem naturali contraria sit, in quantum illa augetur, in tantum hæc minuitur, & contra. Minori itaque gradu si adsit constitutio praeternaturalis, quam naturalis adhuc residua, hæc præualens est; vti, si illa hac maior sit, succumbens hæc existit, & tunc quoque natura succumbens dici consueuit, æquali autem gradu si vtraque sit præsens, pugna naturæ & morbi quandoque vocatur,

§. XIV.

Gradus itaque constitutionis præternaturalis & naturalis simul præsentis in omni morbo attendendus est, & inde quoque prognosis fundamentum suum obtinet.

Præua-

Præualente enim natura exitus ſalutaris, ſuccumbente natura exitus lethalis, æquali autem gradu vtriusque præſente dubius exitus eſt, & hic eo tandem tendit, quo poſtmodum gradus alterutrius vergit. Ibi igitur, vbi præualens eſt reſidua conſtitutio partium naturalis, vel ex dubia talis euadit, σύγκρισις & διάκρισις ſuperius recenſita fit, in reliquis autem minus, niſi arte poſtmodum accedente, ſuccumbens viſa præualens iterum reddatur.

§. XV.

Conſiſtit autem humorum conſtitutio hæc naturalis reſidua & præualens in humorum vitalium morboſorum tali gradu intemperiei in eo, vt particulæ morboſæ, reliquis humorum partibus interpoſitæ, ob earundem qualitatem & quantitatem ita ſe habeant, vt harum proportionem & actionem quidem turbent, hæ vero in tali quantitate & qualitate adhuc permaneant, vt actiones inde dependentes non penitus ceſſent, ſed ſuperare morboſas queant. Adeoque qualitas & quantitas reliquarum bonarum partium humorum ita proportionata conſtitutionem hanc efficit. Partium ſolidarum autem conſtitutio naturalis reſidua conformationem & vnitatem tali gradu reſiduam notat, vt & actiones inde dependentes non penitus ceſſare cogantur, & reditus ad naturalem ſtatum fieri queat, inprimis autem viarum & meatuum idonea conſtitutio adſit.

§. XVI.

Humores vitales morboſi igitur in ſe continent tam particulas morboſas, quam reliquas ex ſtatu naturali reſiduas, & quidem hoc loco in dicta proportione. Vtræque vero gaudent certa definitaque actiuitate, quæ omnino

motus ſpecies eſt, vt omnis actio. Hoc equidem negare videntur recentiores quidam, & generatim motum materiæ denegant, & actum tunc ſine agente putant, ſi materiæ inſitum motum putemus, & ideo animam immaterialem motibus naturalibus & vitalibus præficiunt, vt agens obtineant, cum materiæ actiuitatem negent. Verum dum ipſi materiæ morbidæ vim fermentationem morboſam, imo putredinem, in ſanguine excitandi, ſanguinemque deſtruendi, aſſignant, vbi tunc eſt agens, ſi materiæ talis vis non competat, ſine motu enim hæc nec concipi nec fieri queunt. Neceſſe tunc eſſet, peculiarem animam in corpore motuum vitioſorum autorem vt ſtatuerent, cum anima rationalis, iuxta eorundem ſententiam, motus ad conſeruationem corporis præſtet, & contra hanc materiam morbidam agat.

§. XVII.

Materiæ morbidæ ergo dum vim & actiuitatem tribuunt vel concedunt, cauſa nulla eſt, cur humoribus ſanis, vel eorundem partibus, efficaciam denegent. Partes enim conſtituentes, a quibus omnis humorum vis dependet, in vtrisque eædem occurrunt, ſed alia proportione, a qua hinc alia & diuerſa efficacia oritur. Imo ſi in viuente homine particulæ humores conſtituentes nullum motum, nullam vim, niſi ab anima rationali, haberent, vndenam dependet ille motus, qui poſt mortem in putredine ſe exerit, vel vnde deriuabunt illum motum, qui in alimentis, ex quibus humores fiunt, prius quam in corpus aſſumuntur, obſeruatur. Omnia enim vel fluida iam exiſtentia, vel talia reddita, fermentationem, mutationem, corruptionem ſubeunt, ſi ſibi reliquantur. Cum itaque particulæ humores conſtituentes, antequam in corpus recipiantur, &

poſt

post mortem quoque, eundem suum motum, licet, ob conditiones alias præsentes, aliter determinatum, semper tamen earundem proportioni respondentem, obtineant, ne probabile quidem est, in viuente corpore hunc cessare, & mere passiuas particulas has euadere, omnibus tamen requisitis reliquis præsentibus, vt motum exercere queant.

§. XVIII.

Quoniam itaque humorum vitalium morbosorum particulæ constituentes salinæ, sulphureæ, reliquæque actiuitate gaudent, & tali proportione adsunt, vt in se inuicem agant, motumque intestinum excitent, necessario pro diuersa proportione harum particularum diuersus hic motus, diuersa combinatio earum, seu *σύγκρισις*, fiet. Adeoque respondebit definita *σύγκρισις* definitæ proportioni harum particularum, cum hæc illius causa sit. Motus ergo hic definitus non ab anima rationali dirigente, vt quidam sibi persuadent, sed a definita harum particularum proportione, dependet. Quodsi itaque harum particularum in humoribus morbosis talis adsit proportio, ac § XV diximus, etiam *σύγκρισις* eiusmodi fiet, vt humores vitales sibi restituantur, particulæ morbosæ vero secessum & excretionem subire possint, partium solidarum constitutione naturali reliqua concurrente.

§. XIX.

Motum autem humorum intestinum definitum a particularum constituentium proportione definita dependere, vel exinde quoque constat, quod ille semper exacte huic respondeat, & hinc, laudata ante proportione præsente, salutarem effectum habeat, inconueniente vero nimis proportione præsente, effectum tristem post se trahat. Quodsi

autem ab anima rationali motus hic dirigeretur, & minime ex necessitate constitutionis laudatæ proueniret, alia sæpe ratione deberet institui. Hoc in iis morbis, qui, iam laudata proportione præsente, sponte sanantur, non ita manifestum euadit, quia effectus salutaris sequitur, licet absque tali directione. In reliquis vero morbis noxius ille motus ostendit, non a principio quodam cognoscente & libere motus ad finem dirigente, quo tunc maxime opus haberet, sed a constitutione hac enormiter vitiata eundem oriri.

§. XX.

Sic in febribus pulsus auctus & calor totius auctior sanguinis rarefactionem & acrimoniam sequitur, a miasmate talis conditionis in massa sanguinea hærente, adeoque a constitutione tali particularum constituentium eueuientem. Vnde, quo actiuioribus salino-sulphureis rarefactiuis gaudet materia morbida particulis, eo magis etiam talis rarefactio & acrimonia, &, per consequens, pulsus & calor auctus consurgit, sique proportio ea permaneat in humoribus ita affectis, vt præualens sit constitutio naturalis residua, febris sponte sanatur, sin minus, nec arte quoque illa restitui queat, lethalis euadit febris, & motus ille, qui pro salutari instrumento habebatur, destructionem præstat. Nam, si ex alimentis talem texturam habentia, vt aromata, vinum generosum, &c. vt & ex medicamentis acria, salino-sulphurea, volatilia, calorem sanguinis, eiusdem rarefactionem & pulsum augent, quod omnes concedunt, quid impedit, quo minus salinæ, sulphureæ, acres, materiæ morbidæ particulæ in sanguinem simile ius habeant. Cum autem recentiores quidam pulsum non a materia morbida, sed a principio vitali vel anima, ideo auctum putent,

tent, vt intentionem ſuam, nempe eliminationem materiæ morbidæ, obtinere poſſit, & inde quoque calorem auctum prouenire, probe animaduertendum eſt, motum hunc auctiorem in ſe aptum & proportionatum haud eſſe, vt eo mediante talis materia, quæ ex actiuioribus, rarefacientibus, ſanguinemque exagitantibus particulis conflata eſt, tuto commodeque eliminari queat, cum ſemper, tam extra corpus humanum quam in corpore, per motum maiorem partes actiuæ vim & impetum maiorem recipiant, & ſic maius damnum inferrent, adeoque motus hic auctus intentioni animæ adſcriptæ magis eſt contrarius.

§. XXI.

Fatentur id ipſum in peſte & febribus malignis, & agnoſcunt, materiæ illi ſeu miaſmati, efficaciſſime ſanguinis maſſam putrefacienti, corrigendæ & expellendæ non conuenire commotiones maiores, & ideo quoque exiſtimant, cum calor minor fere in talibus & ſubdolus adeſſe ſoleat, quod hic quoque ab anima inſtituatur, vt lenis, æqualis & aſſidua expulſio materiæ illius fiat. Quanquam autem etiam hic calor mitior & ſubdolus minime ab anima rationali, ſed a particularum, miaſma hoc conſtituentium, ea conditione, qua partes ſanguinis balſamicæ & ſpirituoſæ cito vna deſtruuntur & reſoluuntur, deriuandus eſt, tamen inde conſtare manifeſte generatim poteſt, materiam febrilem quamcunque nunquam actiuiorem reddendam, ſed mitigandam & eliminandam eſſe, adeoque pulſum auctum, calorem auctum, vtilem ad id non eſſe.

§. XXII.

Idem confirmant ipſi, dum contrariam huic ſuo

principio curam instituunt, adeoque ipsi sibi minus constant. Nunquam enim, & recte quidem, in febribus quibuscunque adhibent pulsum & calorem augentia, vel auctum conseruantia, sed potius minuentia & temperantia, vti sunt alexipharmaca & diaphoretica temperata, humectantia, aquea, acrimoniam salino-sulphuream mitigantia, absorbentia, nitrosa, acidula & similia. Quod si itaque recte ab anima institutus est motus, in pulsu, in calore, maior, cur non conseruant, cur minuunt potius? Nempe nunquam poterat alia ratione redire sanitas, quam per proportionem particularum humores constituentium restitutam, & proinde pulsum & calorem ad mitiorem naturalem gradum redactum, adeoque semper sibi constat veritas.

§. XXIII.

Ex his patere poterit, quod motus ille praeternaturalis, qui vna cum constitutione partium naturali residua & praeualente in morbis occurrit, huic sententiae addictis imposuerit, ac si hic restitutionem ex morbis spontaneam efficeret, & ab animae rationalis directione dependeret, cum tamen nihil minus ille praestet, imo non raro maior euadens, & constitutionem naturalem succumbentem faciens, secretionem & excretionem conuenientem impediat, & mortem sic inferat.

§. XXIV.

Idem, quod in febribus fieri diximus, videmus in inflammationibus euenire. Nam in his quoque motus massae sanguineae, in parte stasin concipientis, intestinus auctus a mutata particularum constituentium proportione prouenit. Sanguis enim si in extremitatibus arteriolarum

larum liberum transitum non obtinet, ſubtiliores & vna cum his ſeroſæ tantum refluunt per venas, acceſſusque ſanguinis fit maior, quam refluxus. Seroſæ particulæ inſuper per poros ſibi deſtinatos ſeparantur, adeoque ſanguinis partes actiuiores, ſeu ſalino - ſulphureæ, copioſiores in parte hac iunctæ ſunt. Hæ, remoto magis ſero vel imminuto, motum recipiunt maiorem, ſulphur a ſalibus reſoluitur, agitatur, & hinc calor præternaturalis oritur. Quo maior hinc ſtaſis, minorque reditus ſanguinis, eo magis id fit, &, ſi nihil ſanguinis redire amplius valeat, ſummus motus inteſtini, & hinc inflammationis, fit gradus, nempe gangræna. Variat autem id etiam pro ipſius ſanguinis conditione alias præſente. Si enim ſalino - ſulphureæ partes iamdum abundantes fuerint, longe promptior talis fit actiuiorum actuatio. Si itaque etiam hoc loco particularum mutata proportio eo ſaltim gradu permaneat, vt § XV dictum eſt, etiam hic talis σύγκρισις ſequitur, ſin autem longius a ſtatu naturali abierit, vel eiusmodi per motum inteſtinum fiat σύγκρισις, vt ſanguis in pus mutetur, & fibrillæ quædam reſoluantur, tunc quidem abſceſſus fit, reliquæ tamen partes ad frugem redeunt, ceteris conſentibus, vel corruptio & deſtructio plenaria ſequitur.

§. XXV.

Eodem modo, ac in febribus, motum hunc inteſtinum auctum non a proportione particularum conſtituentium mutata, ſed a principio vitali ſeu anima ortum, & ideo inſtitutum, eſſe, contendunt quidam recentiores, vt eo ipſo ſtaſin ſanguinis, in parte quadam factam, diſſoluere intendat. Putant enim animam dirigere & reſtringere copioſiorem ſanguinem bene adhuc fluidum ad portionem illam motu ſuo iam priuatam, & dum ita

ſanguis

ſanguis fluidus motu auctiore fortius per portiunculas illas concretas & coagulatas transpelleretur, non ſolum tumorem, ruborem & calorem oriri, ſed etiam corpuſculorum concretorum aliquam abraſionem, diuulſionem & diſcuſſionem obtineri. Animæ autem hæc vis licet nunquam adhuc oſtenſa vel probata ſit, nec quoque probari poſſit, cum contrarium ſatis manifeſte demonſtrari queat, fingamus tamen, eandem poſſe dirigere & reſtringere ſanguinem ad partem affectam motu auctiori & transpulſu fortiori. Patebit tunc, quod etiam hic motus, ſi ita inſtitueretur ab anima, non ſolum expedire ſtaſin haud valeat, verum etiam eandem magis augeat, grauioremque reddat.

§. XXVI.

Concretæ enim & coagulatæ ſanguinis partes, quæ ex reliquis ſtaſeos cauſis adferuntur, a fortiore ſanguinis accedentis impulſu diuidi, & ſic fluidiores reddi, non poſſunt, cum pulſæ cedant, quantum poſſint, & ſic impetu maiori in extrema minima vaſculorum impellantur, & quaſi incuneentur, vbi transpulſio a ſanguine per portiunculas concretas expectari haud poteſt, vndiquaque enim impactæ ita comprimuntur per anguſtiam meatuum, vt cedere, & transmittere ſanguinem reliquum, nequeant. Adeoque ſic abraſio, diuulſio & diſcuſſio ab hoc motu impetuoſiori fieri non poteſt, ſed potius, quo maiore impetu ſanguis adfertur, eo plures extremitates arteriolarum ita infarciuntur, quæ, pacatiore motu ſanguinis exiſtente, liberæ permanſiſſent, & hinc ſtaſis inde non minuitur, ſed potius augetur. Hoc etiam inuiti quoque fatentur, cum tumorem, ruborem, & calorem maiorem inde deriuent, quæ tamen minime a ſtaſi reſoluta vel imminuta, ſed aucta

aucta potius dependent, quod enim tumorem, ruborem & calorem, maiorem facit, ſtaſin non expedire, ſed potius augere poteſt.

§. XXVII.

In grauioribus inflammationibus, & inprimis partium internarum, cum febris vel iuncta ſit, vel ſuperueniat, imo etiam præcedat, iunctam vel ſuperuenientem febrim non ſolum, vt omnes febres reliquas, ex morbis eximunt, ſed etiam pro vnico ſalutaris ſpei & euentus ſubſidio & inſtrumento habent, quatenus, febrim calorem auctiorem totius, a pulſu aucto dependentem, eſſe, exiſtimant, aliter autem, niſi motu locali ſeu circuitu ſanguinis inſigniter aucto & continuato, ſtaſeos tempeſtiuam diſcuſſionem fieri non poſſe, putant. Tantum vero abeſt, vt febri mediante ſtaſis expediri poſſit, vt non ſolum ob ante dictam cauſam, ratione impulſus maioris, maior ſtaſis eueniat, verum etiam, ob rarefactas & acriores in febri redditas particulas ſanguinis, criſpatura & ſtrictura vaſculis extremis inferatur, ob lympham diſſipatam & imminutam ad coagulum & concretionem ſanguis magis diſponatur, & ſic ſtaſis & inde dependentia mala grauiora reddantur. Vnde & febris non raro antecedens non tam præcauet ſtaſin & conſequentem inflammationem, quam potius, ſi vehementior paulo ſit, eandem infert. An vero cauſa, quæ malum ita, vt hoc modo febris, efficit, idem malum tollere & eadem prorſus ratione & inferre, & remouere poſſit, non tam dubium, quam veritati contrarium, eſt.

§. XXVIII.

Imo & hic quoque a recepta ſua ſententia in curatione eosdem abire deprehendimus, vbi magis experientiam, quam allatam ſuam rationem ſequuntur. Non enim ſolum fiente inflammatione, & recte, inprimis vr-

gente ſtatu plethorico, ſanguinis miſſionem commendant, ne affluxus ad partem affectam nimis copioſus fiat, ſed etiam in facta affluxum maiorem non conſeruant, vel augent, ſed minuunt. Si autem affluxus ſanguinis auctior & vehementior ſtaſin expedire valet, & vnicum eſt eiusdem remotionis auxilium, cur eundem minuunt & temperant per venaeſectionem? & cur in reliquis, quæ adhibent, remediis, ea in vſum vocant, quæ affluxum maiorem minime vel augent, vel conſeruant, ſed potius, quæ eundem minuunt & temperant? adeoque potius contemperatio decens & reſolutio blanda, quam impulſus auctus, ſtaſi expediendæ apta eſt.

§. XXIX.

Vti autem ſic, particulis actiuioribus & rarefacientibus in ſanguine præſentibus, motus huius inteſtinus fit maior & progreſſiuus quoque augetur, ita tali conſtitutione humorum præſente, vt inertes minusque agiles particulæ emineant, motus inteſtinus quoque, hinc & progreſſiuus, minor, quam naturalis conſtitutio requirit, fit, & conformes effectus varii ſequuntur, vt quandoque voluntarius motus amiſſus, v. g. in apoplexia, paralyſi, &c. Atque hoc in ſtatu, ſi anima rationalis motus fini & conſeruationi conuenientes inſtituere & dirigere poſſet, id deberet efficere. Sed hic altum eſt ſilentium, & affirmant potius, principium vitale ſeu animam, cum prius fruſtra inſtituerit motus, iam ex tædio a motibus remittere, vel penitus abſtinere. Ipſi vero ægri ita affecti, contrarium aſſerunt, anxie enim motus reſtitutionem deſiderant, deſiderium autem hoc eſt ipſius animæ, poteſtne autem eodem temporis momento adeſſe & abeſſe hoc deſiderium? quod, tædio præſente, fieri deberet. Ergo ex recenſitis manifeſtum eſt, motus hos, vel auctos vel imminutos, in morbis occurrentes ad abigendum & ſanandum

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

# DOMINO
# FRIDERICO ANTONIO

PRINCIPI IN SCHVVARTZBVRG
S. R. I. QVATVOR VIRO
COMITI IN HOHENSTEIN
DYNASTAE ARNSTADII,
SONDERSHVSAE, LEVTENBERGAE,
LOHRAE ET CLETTENBERGAE

PIO, FELICI, AVGVSTO,

PRINCIPI AC DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO,

*SERENISSIME PRINCEPS AC DOMINE,*
*DOMINE CLEMENTISSIME*

SVbmiſſiſſimo animo beneficiorumque memori ſingularem illam, qua me ignotum atque immerentem ſuperiori tempore, quo me benefica ſidera Rudolphopolin inuitabant, non dedignatus es, recolo gratiam. Traducit me adhuc ad admirationem fulgentiſſimus AVLAE TVAE ſplendor & mirifica in ſubiectos effuſa gratia. Et ſane quo diligentius omnia perpendo,

eo

eo magis RESPVBLICA TVA reipublicae microcosmicae quodammodo similis esse videtur. In ea scilicet anima in ipso Palladis mnemosynesque delubro suas potissimum exsequitur actiones; post habitisque reliquis propemodum actionibus corporeis, incredibili finis infiniti, cui a Deo O. M. destinata est, fertur desiderio. Substant huius imperio partes spirituosæ, subtilissimæ & mercuriales Massæ sanguineæ, quæ quasi sunt ministri & portitores animæ. Ad suum quæque pars finem est disposita, vt partes hæ, impetum facientes, Hippocrati dictæ, reliquæque cum causa morbifica, negotium facessente, pugnam pugnare adeoque natura vi sua Medica quicquid est peregrinum in corpore, eliminare valeant. Pari sane ratione TV, OPTIME PRINCEPS, anima quasi es Reipublicæ TVAE, es PATER PATRIAE cumque a summo Numine altioribus sis dicatus, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in possessionem veri & boni collocas sapientissimoque tuo rerum moderamine toti orbi Europæo iniicis admirationem TVI. Quæ cum ita sint, CONSILIARII TVI summa prudentia, vera scientiæ eruditionisque laude, plurimo rerum vsu, præter ceteros spectati in TE vnice intuentes veluti partes summe actiuæ spirituosæ in corpore, animæ imperio subiectæ, ad sapientissimam se TVAM conformant voluntatem maximeque consilio, studio, labore, grauitate de patriæ salute nituntur. O felicem rempublicam, vbi sapientes imperant, vbi imperantes ad solidam sapientiæ contendunt gloriam! O omnibus numeris ABSOLVTISSIMVM PRINCIPEM, in quo omnia decantatissima CELEBRATISSIMAE DOMVS virtutum emicant ornamenta! Ecquis vnquam est, quin Guntheri ad Imperatoris dignitatem euecti, Guntheri bellicosi, Christiani Guntheri diuique parentis

 opti-

optimi Ludouici Friderici res fortiter laudabiliterque geſtas cognouerit? Ecquis vero eſt omnium rerum ita ignarus, vt TE omnium ac ſingulorum virtutes pleniſſime exæquare neſciat? quid? quod ſi a Gunthero Imperatore diſceſſero, eorum excedis faſtigium, Principis præ TE ferens ſplendorem.

Serena ſuſcipe fronte hancce ſubiectiſſimi obſequioſisſimique animi teſſeram. Suſcipe &, quæ tua ſingularis eſt in Muſas Clementia, SERENITATI TVAE me meaque de meliori nota ſint commendata ſtudia. Seruet TE Deus, SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, ſeruet TE cum SERENISSIMA DOMO ſartum tectumque in Neſtoreos vsque annos ab omni incommodo. Seruet TE Deus, FRIDERICE ANTONI, Pie, Felix, Auguſte,

*SERENITATI TVAE*

Athenis Salanis
CIϽ IϽCC XXV.

*ſubiectiſſimus ſeruus*

CHRISTIANVS HENRICVS DEESEN.

dum morbum aptos non esse, quin morbosi ipsi sint. Ergo a principio intelligente, & ad finem cognitum proportionate motus dirigente, eosdem haud prouenire, sed potius a conditione & proportione particularum humores constituentium & partium solidarum constitutione tunc praesenti dependere, certum est.

§. XXX.

Eadem igitur partium humores constituentium proportio, quae definitum motum intestinum praestat, etiam humorum determinatam in partes solidas efficaciam reddit, quod vel ex iam recensitis exemplis constare potest. Motus hinc naturales & vitales, quæ per solidas partes ab his peraguntur, itidem exacte huic proportioni semper respondent, nisi ipsæ solidæ, vitium iam aliud sustinentes, determinationem aliam motus simul præbeant, & ideo quoque arbitrariæ & in animæ rationalis potestate non sunt, & hoc in statu naturali ac præternaturali ita se habet. Atque ob hanc causam per motus hosce morbosos proportio partium humores constituentium haud corrigitur, cum illi sint huius effectus, sed inuersa ratione, hac per σύγκρισιν & διάκρισιν emendata, illi etiam proportionem decentem recipiunt.

§. XXXI.

Quoniam autem particularum humores constituentium proportio, superius dictam σύγκρισιν faciens, etiam partium solidarum constitutionem naturalem adhuc residuam & praeualentem supponit, sciendum est, proportionem illarum per hanc determinari, vel ob motum progressiuum huius causa adhuc satis liberum, seu non nimis a statu naturali recedentem, vel ob alias accedentes, alias secedentes particulas, non tamen vltra modum. Dum vero, ob proportionem sæpius tactam, per motum intestinum particulæ legitimæ sibi intime & decenter magis magisque iunguntur, eo

ipſo, συγκρίσει ita fiente, διάκρισις morboſarum vna contingit, ita tamen, vt peregrinæ a reliquis quidem ſecedant, minimeque amplius intime mixtæ ſint, confuſae tamen permaneant. Et hoc coctio veteribus dicebatur, & per vrinam quoque ſe manifeſtat, quatenus prius ſine ſedimento excreta, tali συγκρίσει fiente, ſedimentum, & hinc ſeparationem ſeu διάκρισιν, exhibet.

§. XXXII.

Nondum vero ſufficiens hæc eſt διάκρισις, ſed eliminari debebat penitus ex corpore, vel ſaltim ex maſſa ſanguinea. Illud contingit per organa ſecretoria ordinaria, per poros cutis, per vrinarias vias, aliquando per aluum, per vomitum, per hæmorrhagiam; hoc autem, ſi vel ad ſuperficiem cutis, vt in variolis, morbillis, & ſimilibus, vel ad aliam quandam partem, decubitus materiæ ſeparatæ fiat, vbi denuo σύγκρισιν & διάκρισιν nouam ſubit. Quod vero vel ad hanc vel aliam viam feratur materia hæc ſecedens, itidem a particularum, humorem hunc ſeparatum & excernendum conſtituentium, proportione prouenit, minime vero a deſtinato principii vitalis ſeu animæ conſilio. Prout enim magis per poros cutis exhalabiles partes, vel fixiores ad vrinarias vias magis vergentes, vel bilis ſtimulum, ad alui vel per vomitum excretionem, augentes, continet, illuc ordinarie magis vergit, quod & ipſarum partium excretioni dicatarum conditio, vt promptiorem ibi exitum habere queat, promouet.

§. XXXIII.

Decubitum autem in ſuperficie corporis, vel alia quadam parte, facientes, vel ob acrimoniam coniunctam ibi magis explicatam, vel ob viſciditatem ibi magis auctam, ſtaſin excitant, criſpaturam & coarctationem vaſculorum extremorum vel obſtructionem eorundem inferendo. Ibi ſubſiſtentes, ob definitam particularum conſtituentium proportionem, itidem motum inteſtinum determinatum & hinc nouam σύγκρισιν ſubeunt, quam ſequitur poſtmodum διάκρισις, vt vel inſenſibiliter difflentur, vt in morbillis, vel ſuppuratio accedat, vt in variolis & abſceſſibus. Omnia hæc clariora adhuc euaderent, ſi ad ſpecialiora transire iam liceret. Pateſceret etiam vna methodum medendi genuinam his fundamentis ſolidioribus inſiſtere. Speciminis autem loco hæc ſufficere iam queunt, vnde conſiderationis huius facimus finem.

SOLI DEO GLORIA!